DE IGNIS USU IN REBUS CHIRURGICIS DISSERTATIO INAUGURALIS...

Angelo Francesco Bianchessi

DE

IGNIS USU IN REBUS CHIRURGICIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

PRO MEDICINAE ET CHIRURGIAE LAUREA

RITE CAPESSENDA

IN PERVETUSTO AC CELEBERRIMO

ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTIT

ANGELUS FRANCISCUS BIANCHESSI

CREMENSIS

PATAVII

EX TYPIS VALENTINI CRESCINII

M. DCCC. XXX

VINCENTIO FABENI

CHIRURGIAE PROFESSORI OPTIMO

PRAESTANTISSIME PROFESSOR

Tibi, qui me chirurgiae praecepta ejusque praxim sapienter et sedula benignitate docuisti, laborem hunc meum exiguum, primumque scribendi periculum retribuo atque commendo. Haec mea opella metueret medicorum chirurgorumque umbram quoque, si nominis tui luce non illustraretur. Precor ne illam despicias: sed, sin minus ejus merita, saltem auctoris vota admittas. Vivas scientiis, discipulisque Nestoreos annos, dum ego in aeternum

Tibi
Addictiss. atque obsequentiss.
ANGELUS FR. BIANCHESSI.

Quoscumque morbos medicamenta non sanant, ferrum sanat; quos ferrum non sanat, ignis sanat; quos vero ignis non sanat, hos sanari non posse putato.

(Hipp. Sect. 8, Aphor. 6.)

§ 1.

Si Artis opera, utpote dolorem cientia, ex animo pusillo et timido recusantes plures homines periere, eo temporis maxime fuit, quum chirurgi auxilium ignis ope iisdem praestare studuerunt. Absit, nos tristitiam et dolorem eorum poenis adjicere velle. Dolet animus cum interdum subsidio nostro dolor immisceri debeat: sed, ne parum humani videamur, gravia artis chirurgicae principia negligere, atque per commiserationem sterilem (quae nil aliud hominibus retulit nisi hanc voluptatis speciem . . . . misertos fuisse) animo cadere nolimus. Ut simus utiles, cum una sit capiendae salutis ratio, oportet ne aliorum lacrymis admodum excruciemur, sed utamur constantia intrepida simul et amica, quae hominem se majorem facit, unde naturae primos motus superat, atque una officii et beneficentiae voce ducitur. Haec pietatis species decet: hic sensus activus et generosus bonum chirurgum firmat, atque honore prosequitur.

His praemissis, nullum rejecturum spero ignis usum a therapia chirurgica, utpote violentum et triste remedium. Nam saepe salutaris remediorum efficacitas in inusitata actionis violentia sane reponitur. Et licet dura et improvida admotione atque abusu, qui quandoque usuvenit, ignis effectus ejusmodi importaverit, ut aegrorum multitudo parvifecerit, atque Artis cultores in aeternum probrosumque exilium illum pepulerint; attamen valida ejus actio aeque et benefica, in multis rerum adjunctis pro aegris patefacta, certa adeo et decretoria est, ne possim quin ea mihi persuasissima sit. Neque vobis inconveniens sit, Viri omni doctrinarum genere amplissimi, me, hac solemni die, de utilitate hujusce validissimi Factoris locutorum, mihi proposuisse.

Ignis olim hominibus nimium sensibus abreptis Deus et remedium fuit. Ex historia habemus, plurimas inter antiquiores gentes, turpi sane rationis abusu ac dedecore, hoc elementum ut universi animam, ut naturae patrem adorasse; atque ad illud se liberandi gratia ab infirmitatibus quamplurimis, recurrisse. Afri quondam, Arabes, Aegyptii, et Japoniae gentes cum aegrotarent, ad hocce confugiebant, et ipsum unum sanare posse putabant. Quod hodie, eorum parentum praeceptis fidentibus, servant, dum Europaeus minus fidere videtur. Inter antiquos Nomades, Indi, Persae, Armenii, Sinae, Japoniae gentes et Thessaliae, Scythes, Sarmatae omnes peculiaria cauteria, saepe eorum consuetudines significantia, adhibebant. Et ex Prospero Alpino, Homberg, Kaempfer, Ten-Rhyne, atque Scaw harum gentium

nonnullarum pronepotes eorum instituta neque tantillum variasse, habemus. Apud Graecos adhibebatur cauterium multo cum effectu; et Chiron cui originem ejus tribuunt, eo in pervicacioribus morbis utebatur. Ipsaque Hydra Lernaea in fabulis ab Hercule confligata et occisa, non aliud erat, juxta Marcum Aurelium Severinum, quam ulcus quoddam malignum serpens, quod Heros Centauri Chironis discipulus igne diruit. Hippocrates ipse hujus Agentis virtutem adeo aestimabat, ut illud haberet ceu efficaciorem rationem, qua sanandi ars uti posset. Quapropter is ignem adhibebat, et pro cremandis partibus quae nullo alio pacto sanari potuerant, et in multis hydropum generibus, in quolibet abscessu lento atque in morbis chronicis quamplurimis. Post senem Coi inurebant cauterio, aliaque perextensa et diversissima ratione Celsus et Galenus; indi inter Graecos hodiernos Archigenes, Aetius, Areteus, Paulus Aegineta, Celius Aurelianus, qui eorum scripta reddidere, quandoque etiam deformarunt; postea Alexander Trallianus, Antillus, Thomas Fienus, Mercatus, et Maggius in praxi medica peritissimus, qui asserere non dubitavit, *nullum remedium praestantius . . . igne;* tandem Arabes, inter hos Albucasis, Rhazes, Ali-Abbas. Stat quidem hujus potentis remedii usum hos nimis extulisse: at verum nihilominus est, ipsos admotione illius effectus ejusmodi obtinuisse, quos penitus remissorum animorum subsequentia tempora fere ignorarunt. Cum primitus litterae post barbarorum tempora illuxere, usus ignis posthabitus fuit a multis, quamvis, eadem aetate,

Guido Chauliacus, Ambrosius Pareus, Fabricius ab Aquapendente, Spigelius et Fabricius Hildanus a quo praedicabatur: *omnibus affectionum generibus absolvendis satisfacere ignis potest*, in usu perseverarunt. Eidem studio sententiaeque assentiti sunt Marcus Aurelius Severinus, Kaempfer, aliique nonnulli. Postremo verum saeculo deficiente, Accademia Chirurgica Galliarum in dignam se aestimationem illum evexit; tum praecipue illustris Percy, qui prae omnibus multum fecit ad Pyrotechniam. Extremis hisce temporibus, sapienter nixi sunt pro ferro candenti Pouteau, Lerrey, Dubois, Roux, Richerand, Kern, Rust, Dupuytren, et Maunoir, qui cum non ita pridem esset in Anglia, Anglis ignis excelsi remedii pro chirurgica praxi aversationem acriter objectavit. Nec minori studio inter recentiores Italiae chirurgos Volpi, Monteggia, Canella, Scarpa, Paletta, et maxime clarissimus Professor Caesar Ruggeri, nuper hujus celebris Universitatis ornamentum, nunc lacrymabili fato humanitati languenti artisque additamentis ablatus, ignis utilitatem celebrarunt. Sin minus ac ratio et praxis repeterent, ignis adhibitus fuerit, tamen minime dubium est, ex eo in affectionum, sub eandem rationem cadentium, studiis, magnum progressum artem fecisse, chirurgosque novissimos in ea aequa ratione concinnere, quae a proscriptione et abusu, jugiter funestis, pariter distat.

§ II.

Ignis, generatim consideratus, afficit partes in quas admovetur, nec non generalem oeconomiam tali pacto, ne a quovis alio remedio id praestari possit. Ea fere ratione qua medicamina alia multa valent in corpus animale una vice multifarie agere, ille in tot morbos potest actionem multifariam inferre; unde sub triplici respectu ejus actio nobis patefit.

I. Primus ejus effectus est acutus sed simplex stimulus, qui in partes animales plus minus ruborem ciet, atque capillare sanguineum systema concitat: quapropter organici motus qui prius torpescebant, et vires vitales ex stimuli defectu infirmatae, evehuntur.

II. Altera ignis actio in animalem oeconomiam est exustio superficialis, ex qua subita et vivissima localis irritatio inducitur, quae penitioribus partibus plus minus fert vim deperditam, aut in mixti organici perturbationes affert salutarem commotionem. Hac quidem irritatione concitatur in systema dermoideum maxima humorum affluentia, quae per antagonismi leges potest quoque discutere, aut saltem malignum processum alicujus interni morbosi fomitis pro parte cohibere. Ostendit Hippocrates, irritamina, facta in superficiem corporis, quam convenire possint ad salutares revulsiones consequendas.

III. Ignis denique agere potest ciens disorganisationem plus minus absolutam: et praeter quam tali modo extenuat et destruit humorum tenacitatem,

excitat quoque systema inhalans ut absorbeantur, atque demum per haec illaque emunctoria corporis humani propellantur. Quod si pars quae inuritur, tota sit male affecta, pathologicam conditionem commutat: quo fit ut ea si prius acrem, saniosum, malignum liquorem secernerat, nunc vice versa alium diversum et bonae notae excernit, quod non raro aegris levamen praestat.

Ad hosce tres gradus actionis ignis habendos, tres distinctae rationes cauterio inurendi excogitatae sunt; *cauterisatio per proximitatem* (objectiva dicta a Percy): *transcurrens*: *inhaerens*. Inter rationes multas, quae huic scopo impensae sunt, praeter uberrima quae in Hippocratis operibus inveniuntur, recensendi quoque sunt *radii solares*, quibus veteres grandopere utebantur; eorundem *concentratio* a Lapeyre imaginata; *carbo ardens* a Faure adeo celebratus; et potissimum *Moxa*. Nos autem haec postrema, quia interdum minus efficaciora et gravia, aut lentiora, vel quatenus non semper chirurgis aptata, a nostra praxi libenter repellemus: et potius confugimus ad actuale cauterium ex candenti ferro (1), quod efficacioris et promptioris actionis est; quodque partium naturae, loco, et quantitati sua forma (2) accomodari potest.

---

(1) Hoc chalybs antecellit, quippe qui majore densitate parvaque oxydatione instructus aegrius immutatur.

(2) Percy quinque cauteriorum species adoptat, nempe cauterium *canaliculatum*, *conicum*, *cultratum*, *nummulare*, et *octangulum*; quibus adjici quoque possunt *prismaticum* Rust, et *ad instar olivae* Roux, *globulus* nempe *igneus*.

Quod gradum caloris in cauteriis spectat, animadvertendum est, ea irritare eo magis et textus lentius demoliri, quo minus sunt calore completa: et vice versa eorum actio citior et minus gravis aegris est, quo magis in illis calor abundet. Hoc physica et chiru gica lege clare patet. Sed imaginatio et praejudicium ita apud plures homunculos et mulierculas obtinet, ut specie potius quam veritate ducti, efficaciora artis subsidia recusent. Marcus Aurelius Severinus (3) consideravit non omnes aeque perferre ignem, imo abominantur (utar verbis Fabricii Hildani) *adeo, ut sint nonnulli quos citius ad praelium adigas, quam ut ferro candenti se se permittant* (4). Ideo prudentis chirurgi est concedere, non semper et quacumque in circumstantia, licet indicatum sit, validum hoc remedium adhibendum esse, ne *timor homini plus noceat, quam medicina juvet.*

§ III.

His generalibus notionibus praemissis, liceat mihi ad nosologica opera discurrere, pluraque insignia exempla exponere, quae evidenter probant cauterii actualis virtutem salutarem, dummodo a sapienti chirurgo et experto inuratur. Tuque patiens homo, consolator, quod fere infirmitas sit nulla, in quam artis magister remedium per ignem tibi facere non possit.

---

(3) Lib. I. part. 2, cap. 8.

(4) Cent. I. obs. 140.

1. Hippocrates, Ruland, Thomas Willis, aliique feliciter ferrum candens adhibuerunt contra haemorrhagias, quae neque adstringentibus, neque frigidis ullis remediis sisti potuerant. Ipseque Mangetti, nec prope nec procul ab ano tenens laminam a multo periculo ex haemorrhoidibus nimiis infirmum liberare potuit (5).

2. Illustris Percy in tumoribus indolentibus, atque ulceribus atonicis, fungosis et malignis; in primos ciens phlogosim artificialem, unde resolutio aut effusio per suppurationem; in secunda incitamentum fortem quod malam naturam emendavit, bonumque reproductionis processum invexit, ex quo cito ducta cicatrix, multum ab eo utilitatis spectavit (6). Arbitrati sunt quidem indicatissimum esse ignem ad hujusmodi morbos propellendos Lacomte, Lecat, Mattioli, Lapeyre, Richter, Cirillo, aliique. Celsus in morbis oris, labiorum, palpebrarum, et generatim in omnibus texturae mollis et delicatulae partibus, actuale cauterium praescripsit: atque loquendo de rimarum labiorum pravae indolis curatione, *necessarium est*, ait ille, *tenui ferramento adurere, quod quasi transcurrere, non imprimi debet* (7).

3. Ferramentum transcurrens ut validius et tutius in sanandis infarctubus serosis et atonicis textus cellularis subcutanei, praeterquam in praestanda vi majori partibus accisis et flaccidis, a multis habitum

(5) Curat. empiric. t. 3, pag. 201.
(6(Pyrotechnie chirurgicale-practique, Sect. 3, pag. 86.
(7) Lib. 7, cap. 12.

est. Per venerabilem Senem Coi habemus, Scythas et Nomades hoc adjumento enerva eorum humida corpora ad tendendum cum vi majori arcum firmasse (8).

4. Actuale cauterium optime inservit ad quarundam fistularum callositatem adurendam, phlogosimque movendam, ut partes in salutem adhaereant. Caesar Ruggeri lata ulcera sinuosa circa trochanteres consanavit; et Petrus Marchetti duas fistulas diu sub axillis moratas sic ad integritatem reddidit. Ecqua ejus virtus in fistulam lacrymalem graviorem a Richerand et Scarpa experta non fuit?

5. In cura sic dictae aurae epilepticae (aurae frigidae aut venenatae) ut antiquorum verbis utar, quae a pedibus et minus saepe a manibus se attollens praenunciat epilepsiae paroxysmum instantem, ligatura, epispastica, acu-punctura perraro eam sistiterunt. Zacutus Lusitanus, ne alium laudem, puerum ad pollicem laevae manus, quo nervosam aurae fluctuationem patiebatur, candens ferramentum admovens sanavit: *cumque plura machinarentur medici incassum, cauterio actuali, ad priscorum morem, pollici laboranti apposito, curatus est* (9).

6. Contra vulnera venenata et morsus animalis rabidi, ustio ut potentissima et validissima habenda est. *Ferris admodum ardentibus, audacterque vulnus adurendum* (10) Galenus admonet. Unde haec

(8) Hipp. de aere, locis et aquis.
(9) Medic. princip. Hist. lib. 1, hist. 20, pag. 120.
(10) Lib. de Theriac. ad Pison, cap. 6.

non tantum in iis casibus commendata, verum etiam non leviter inurendum. Ita sane arbitrati sunt Fabricius Hildanus, Percy, Portal, Beniaminus Canella. Ignis usum antiquissimum specificum in ejusmodi vulneribus fuisse, ex sequentibus Democratis versibus, etiamsi innumera in veterum medicorum scriptis non habuissemus argumenta, eruitur: *Unus idcirco est omnium curae modus, Omnibus carnem virulentam protinus Scalpello circumcide, et igne computa* (11).

7. Adustio est usque a temporibus contra carbonchia et anthraces pestilentiales celebrata. Titus Livius experientia edoctus, in carbonchia remedium carbonem esse affirmavit: *carbo carbone vincitur.* Celsus, Pouteau, et Dufour feliciter ad illam repetitam confugerunt anthracem depellendi gratia. Cross scribens de ulcere nosocomiali inquit, actuale cauterium ad refraenandos fatales processus in mali ominis casibus, unum expedire.

8. Ambrosius Pareus, Severinus, Ruischius, Garengeot, Dupont, Louis, Dessault, Pelletant, atque Ruggeri saepe prospere usi sunt ferro candenti ad tumores fungosos sinus maxillaris comburendos. Sic contra epulidem optimum est. Ipsaque sanatio quam Hippocrates (12) Metrodori filio paravit, ignis virtuti tribuenda videtur.

9. In humida etiam carie, quae admodum pertinax et rebellis est, hoc pharmacum indicatissimum:

---

(11) Apud Gal. lib. 2, de antidot. cap. 5.
(12) Lib. 7, epid.

nam degener humor et corruptor, qui in ossibus cariosis imbibitur, fundat focum corruptionis, quem ignis solum, liquorem illum dissipando, laminasque ossium infectas comburendo, extinguere potest. Hoc pacto partes quidem fere integrae cariosum locum circumdantes, incitantur: qua incitatione peracta, caries facilius definitur, citiusque in salutem abit. Boquis, Monrò, aliique pro certo affirmant, in ulceribus fistulosis pedum manuumque cum ossium carie, ignem satis feliciter adhibuisse.

10. Lancisius, Blanchius illius appositum ad pedes incitandi causa, et revocandi asphycticos in vitam, instar certi tentaminis, judicarunt. Gardanne, Orfilà de suppeditandis auxiliis submersis ajunt: si asphycticus non videatur mitiora therapeutica subsidia persentire, tum adustione, in aliqua sui corporis parte, ei succurrendum est.

11. Ea quoque in affectionibus paralyticis a Prospero Alpino (13), a Meza (14), ab Alexandro Benedicto, a Pouteau, ab Alibert, atque ab aliis multis celebrata est. Maunoir in paralysim extremitatum inferiorum, quae est a carie lumbarium vertebrarum, eam perutilem spectavit (15). Et nobilis Kern perfectae sive plenae paralysis manus et tremoris, cunctis methodis curae geminos rebelles, casus per ignem perfecte sanatos, refert (16).

---

(13) De Medic. Aegypt. p. 98.

(14) Comp. med. pract. f. 3, p. 25.

(15) Omod. Annal. Univ. di Medic. fasc. 41, maggio 1820.

(16) Idem Omod. fasc. 147, marzo 1829.

12. Actualis cauterii admotio ad supercilium aut ad tempora multum in amaurosi quandoque profuit. Larrey dicit, admotae ad tempora moxae saepe guttam serenam et nychtalopiam, nondum perfectas sive maturas, servivisse. Fridericus Dekker refert, filiam caecam oculorum sensum recipere non potuisse, sin prius ferrum candens ter adhiberetur.

13. Dementia, imbecillitas, Amnesia, chronicae vertigines, cephalea ignis ad caput admotione antiquitus depellebantur. Bodson cum sanare vellet cephalalgiam pertinacem, adhibitis jam frustra sanguinis missionibus, vomitoriis, vesicatoriis, sopientibus, vino Saeguin, etc., moxam accendit super parietale dexterum quo insidere morbus videbatur; hoc vix peracto, morbus imminui coepit, et priusquam moxa consumeretur, adeo evanuit, ne amplius in scenam prodiret (17).

14. Ectropium quod saepe, et maxime in senibus, pertinax est, quodque post repetitas incisiones et cathaereticorum usum reviviscit, facilius frequentiusque actuali cauterio cedit. Celsus in ectropio senum de hac methodo commendat: *si ex senectute est, tenui ferramento totum extrinsecus est adurendum* (18).

15. Illud mirum in modum operam suam vomitui spasmodico commodavit. Clarissimus Riboli refert de muliere quadam, in xenodochio Mediolanensi vomi-

(17) V. L. Brera, Giornale di med. prat. f. 24, p. 533.

(18) Lib. 7, cap. 7. § 10.

tu nervoso diu laboranti, quin ullis remediis levari posset, ab illustri Moscati, morti proxima, laminae ferreae candentis ope ad epigastrion, liberata. Ejusmodi fuit haec operatio, ut conatus in vomitum una cum vomitu ipso disjicerentur.

16. Nervosa odontalgia, quae saepe saepius quamque curae methodum recusavit, haud perrarum in igne remedium invenit. Scultetus refert, Spigelium ejus praeceptorem dentium dolores, igne ad patientis lateris auriculae antitragum, jugiter sedasse (19). Thomas Bartolinus (20) hoc quidem speciale remedium adscivit; atque Nuck, Solingen, Dekker, et Valsalva ut eminens in quamvis odontalgiam *specificum*, illud censere neque tantulum perpenderunt.

17. Stomachi languor, flatus, diarrhaeae chronicae, quamvis promptiori medicinae resistere viderentur, adustione tamen vinci potuerunt (21).

18. Illa bonos effectus edit etiam in phthisi pulmonari. Hippocrates (22), Celsus (23), Albucasis (24), Hieronymus Cardanus (25), Pouteau (26), aliique; unus ad regionem menti illam applicans, aut ad utramque maxillam, sive ad scapulae angu-

---

(19) Armament. part. 2, observ. 34.

(20) Centur. 4, obs. 8.

(21) Voy. Les oeuvres posth. de Pouteau, et l'article Adustion dans la nouvelle encyclop. medec. t. 1, p. 1.

(22) De intern. affect. de morb lib. 6, cap. 2, 14, et passim.

(23) Lib. 3, cap. 22.

(24) Lib. 6, cap. 57.

(25) Comment. in Aphor. Hipp. 61. Sect. 7.

(26) Oeuvres posth. t. 2.

/٤٤ .

los; alter ad partem inferiorem gulae, aut supra sternum, vel ad has illasque pectoris regiones, in hanc terribilem infirmitatem emolumentum admirandum consecuti sunt. Ipse Aloysius Alibert se vidisse affirmat, in muliere, caeteroquin glandulis maxillaribus strumis adfecta, moxam impediisse, quominus pulmonis inflammatio in pejus progrederetur. Quamobrem remedium hocce praefinire non dubitat, putans, si qua detur venia, in refraenanda phthisi pulmonari, hujus methodi perturbantis cauto et prudenti usui quadantenus adscribi posse.

19. Efficacissimum praesidium ignis semper semperque fuit in variis nevroseos speciebus, et praecipue in Ischiade. Medicinae Parens asseruit, hoc morbo detentos minus saepe absque actuali cauterio sanari, imo *iis crus contabescit, et claudicant, nisi urantur* (27). Celius Aurelianus, Ambrosius Pareus, Pouteau, Chaussier, Lubissiere, Paulus Aegineta, aliique permulti, in medica praxi peritissimi, ignem in nervorum affectionibus sanandis aptum, summopere esse confirmant. Celeberrimus Percy nobis praestat, unam Gossypii adustionem ischiadicos dolores inveteratissimos et pertinaciores saepenumero dissipasse (28). Salutares stupendosque effectus in hujusmodi morbis, ferrum candens prae manibus peritissimi Ruggeri, ecquos recens non reportavit?

20. Ut tandem ex tot tam multis casibus, paucos

---

(27) Hipp. Aphor. 60, Sect. 6.

(28) Pyrotechnie chirurgicale-practique, Sect. II, pag. 297.

ulterius prosequar, ac meae dissertationis finem faciam, nonnullos tumoris albi aut fungi articularis casus, ex igne non minus fortunatos mirandosque referam. Utilitas maxima quam Pouteau accepit per illum in tumoribus iis, ejusmodi fuit, ut chirurgis et infirmis plurimis animos addiderit; et quo ocyor erit adustio, eo magis salus spe tenenda est: nam *ubi inveteraverunt, vix citra ustionem finiuntur* (29). Percy, et celebratus Ruggeri, ut alios multos silentio praeteream, hanc praxim in curandis tumoribus albis articularibus tenentes, pluries sanitatem perfectam obtinuerunt. Clarissimus Volpi (30), Kern (31), et Rust (32) a cauterii actualis usu in Omarthrocace, in Spondilarthrocace, atque Coxarthrocace fructus uberrimos reportarunt Quidam de hoc postremo morbo verba faciens, significavit: *La coxalgia è il campo delle vittorie del fuoco; ed il fuoco è il vero antidoto della coxalgia.* Recentissimum Ciphoseos ab igne, prout fieri poterat, moderatae exemplum in hoc Patavino Instituto nobis praebuit eximius et longe prudentissimus Professor Vincentius Fabeni.

Si igitur veteres aeque atque hodierni chirurgi actualis cauterii usum, pro sua in curandis morbis virtute, elate decantarunt, nos quidem ad illud omne

---

(29) Cels. lib. 4, cap. 23.

(30) V. Nuovo saggio di osservazioni e di esperienze medico-chirurgiche fatte nello Spedale civico di Pavia, anno 1816, tom. 2.

(31) Memoria sull' uso del fuoco in varie malattie.

(32) Arthrokakologie.

studium nostrum conferemus. Patientium animus ab eo aversus, gravisque ejus agendi ratio rem non distrahat: *itaque cogenda est mens, ut incipiat; deinde non est acerba medicina: protinus enim delectat, dum sanat* (33). Quid plura persequar? in corporis morbis interdum ita se se res habet, qualis in praepotenti illa humani cordis passione, ut efficaciora atque teterrima remedia adhibenda sint: *Ut corpus redimas, ferrum patieris et ignes* (34).

---

(33) Senec. epist. 50.
(34) Ovid. de remed. Am. lib. 1, v. 228.